

bili de Gosa contulisse memoratur. Atque ab eo tempore Burggrauiorum, Dhonanorum profapia magis magisque se extulit, atque in Boemiam, Silesiam, ac Prussiam diffudit: quorum a deo potentia post creuit, vt quatuordecim nobiles ab ijs feuda accipere coacti sint. Nolo hic commemorare, quæ sequentibus annis à multis familiæ vestræ heroica plane fortitudine gesta sunt tum in Germania, tum extra eam. Testantur hodie historiarum monumenta. Quis enim ignorat, *Fabianum* Burggrauium ac Baronem Dhonanum in aula Palatina summa cum nominis sui fama vixisse, legatique officio ad *D. Rodolphum* Cæsarem iterum atque iterum, ad *Poloniæ* *Daniæ*que Reges, ad præcipuos Imperij Principes præclare defunctum esse? quis eundem baptismi testem filia *Casimiri* Administratoris Elect. Palatinatus herois magnanimi ad-

* 4 stitit.